



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis

Ferdinand <Köln, Erzbischof>

Coloniae Agrippinae, 1614

Instructio co[n]tra afflictiones ex detrimentis possessionum cum
exorcismo & orationibus contra pestem animalium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39761

V. Quæ iam generaliter dicta sunt, ad particulares vsus facile applicari possunt. pro loco & tempore & rerum occurrentium necessitate. Sed præcipua cura esse debet de apparatu, hoc est, vt per veram pœnitentiam ad Deum ex corde conuertantur, qui in afflictione remedia quærunt, hoc autem dicitur potissimum propter formularios illos, qui diuersas agendi formulas conquirunt, & si per vnã non succedit, subinde aliam atque aliam adhibent tanquam in forma agendi principalis virtus collocanda esset, cum multò maior sollicitudo esse debeat de pietate & præparatione ad orandum, quam de forma agendi, verbi gratia. Si (de quo hic frequenter sunt querelæ) lactis vel butyri subsidia per incantationes & maleficas artes subtrahuntur, corrumpuntur, vel impediuntur, instruaturo matrona quæ lacticiuijs præest, imprimis vt peccatis suis, suorumque imputet detrimenta quæ patitur, seseque ad patientiam componat, & diuinæ voluntati se fideliter submittat, etiam ad grauiora ferenda, si suæ saluti expediat & benignissimo Domino ita videatur; & recollecta cōscientia, si opus esse videat, se ad puram confessionem præparet, cæteraquæ faciat quæ ad veram pœnitentiam, & iram Dei placandã suprã posita sunt. Deinde oret Deum, vt per misericordiam suam necessaria vitæ subsidia gratiosè sibi suisque concessa conseruare dignetur.

VI. Dum autem ad opus se parat, ad excitandam in se fiduciam recitet attente & religiosè Symbolum fidei, & orationem Dominicam, ac similes preces cum humilitate coram Deo fundat, & crucis signaculo munita lactarium opus cōfidenter aggrediatur, licet autem & aquam benedictam, aut consecratos cereos, & similia, quæ ad fugandos dœmones in Ecclesia parantur, & benedicuntur religiosè ac cōfidenter adhibere, & aspergere pecora, vel stabulum aut pabulum: nam in consecratione aquæ hoc ab Ecclesia petitur, vt vbi aspersa fuerit, dœmones fugere debeant. Si non assequitur quod postulat, accersat Sacerdotem publicum Ecclesiæ ministrũ, cum cuius actione suam deuotionem, piè coniungat, de qua re extat exemplum narratum ab Augustino cap. 8. lib. 22. de ciuit. Dei: Vir Tributius Hesperius (inquit) qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum, vbi cum afflictione animalium & seruorum suorum domum suam malignorum spirituum vim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros me absente presbyteros vt aliquis eorum eò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quãtum potuit, vt cessaret illa vexatio, Deo protinus miserante cessauit. Hic Augustinus nullius formæ meminit, orans (inquit) quantum potuit. Nam, vt suprã dictum est, non tam de forma agendi solliciti esse debemus, quàm vt piè, religiosè ac deuotè oremus, quacunque tandem forma, siue quibuscunque verbis.

VII. Et si

Exorcismus contra pestem animalium. 313

VII. *Esti* autem nulla oratio sit comparanda cum ea quam Dominus noster Apostolis suis dictauit, in qua omnia, quæ peti possunt, optimo ordine digesta sunt, & ob id vñtatissima nobis esse debet, tamen quia varietas delectat & pro necessitate rei occurrentis aliud atque aliud, in particulari petendum est, licebit orationes proprias accommodare ad causam occurrentem.

EXORCISMVS

Contra pestem & afflictionem animalium.

EXorcizo te dæmon, & admoneo te per Deum viuum ✠ per Deum verum ✠ per Deum sanctum ✠ vt exeas atque recedas de loco isto, nec vnquam reuertaris, nec habitatibus in eo, aut homini, aut bruto, pauores immittas, aut quodcunque maleficium inferas, per eum qui te vicit & superauit in patibulo crucis: & potestatem tuam ligauit, quiq; cum Deo Patre & Spiritu sancto viuit & regnat, per omnia sæcula sæculorum.

Deinde aspergatur tota domus aqua benedicta.

Oratio.

DEus qui laboribus hominum etiam de mutis animalibus solatia subrogasti, supplices te rogamus, vt sine quibus non alitur humana conditio, nostris facias vsibus non perire. Per Dominum nostrum.

Qq 2

Auerte

AVerte quæsumus Domine à fidelibus tuis cunctos miseratus errores, & sævientium morborum qui grassantur in animalia depelle perniciem, vt quos suo merito flagellas, & ceteros foueas tua miseratione correctos. Per Dominum nostrum, &c.

His orationibus addi poterunt Psalmi.

Psalmus 34.

DEus in nomine tuo saluum me fac: & in virtute tua iudica me.

DEus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes quæsierunt animam meam: & nõ proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adiuuat me: & Dominus susceptor est animæ meæ.

Auerte mala inimicis meis: & in veritate tua disperde illos.

Voluntariè sacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: & super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri & Filio,

Psalmus

Exorcismus contra pestem animalium. 315

Psalmus 56.

Miserere mei Deus, miserere mei : quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo : donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum : Deum qui benefecit mihi.

Misit de cælo, & liberauit me: dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormiui conturbatus.

Filij hominum dentes eorum, arma & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super cælos Deus: & in omnē terram gloria tua.

Laqueum parauerunt pedibus meis : & incuruauerunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foueam : & inciderunt in eam.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum : cantabo & psalmum dicam.

Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara : exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis domine : & psalmum dicam tibi in gentibus.

Quoniam magnificata est vsque ad cælos misericordia tua: & vsque ad nubes veritas tua.

Qq 3

Exal-

316 **Exorcismus contra pestem animalium.**

Exaltare super cælos Deus: & super omnem terram gloria tua.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 7.

Domine Deus meus in te speravi: saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.

Ne quando rapiat, vt leo, animam meam: dum non est, qui redimat, neque qui saluum faciat.

Domine Deus meus, si feci istud: si est iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam meritò ab inimicis meis inanis.

Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra viam meam: & gloriam meam in puluerem deducat.

Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exurge Domine Deus in præcepto, quod mandasti: & Synagoga populorum circundabit te.

Et propter hanc in altum regredere: Dominus iudicat populos.

Iudica me Domine secundum iustitiam meam; & secundum innocentiam meam super me.

Consumetur nequitia peccatorum, & diriges iustum: scrutans corda, & renes Deus.

Iustum adiutorium meum à domino: qui saluos facit rectos corde.

Deus

Exorcismus contra pestem animalium. 317

Deus Iudex iustus, fortis & patiens : nunquid irascetur per singulos dies?

Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit : arcum suum tetendit, & parauit illum.

Et in se parauit vasa mortis : sagittas suas ardentibus effecit.

Ecce parturiit iniustitiam, concepit dolorem : & peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, & effodit eum : & incidit in foueam quam fecit.

Conuertetur dolor eius in caput eius : & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.

Confitebor Domino secundum iustitiam eius : & psallam nomini Domini altissimi.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Oremus.

DEus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti : da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum : qui tecum viuit & regnat in vnitatem eiusdem Spiritus sancti Deus. Per omnia secula seculorum. Amen.

Oratio.

Oratio.

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis sanitate gaudere, & gloriosa B. Mariæ semper virginis intercessione, à præsentis liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio.

Deus qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas: concede propitius, vt quibus tibi ministrantibus in cælo semper assistitur, ab eis in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio.

Omnipotens sempiternæ Deus, qui dedisti famulistuis in cōfessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia maiestatis adorare vnitatem: quæsumus, vt eiusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur aduersis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

EXOR-